

Questio Secunda.

An Monarchicum regimen omnium sit optimum & præstantissimum?

X L I I.

Si Pontificii memores essent antiqui illius veriloquii, quod Apostolo Petro à nonnullis ascribitur, εδεν ατεγ γεφφης: profecto haud adeo occupati essent in politicis Monarchiae laudibus decantandis. Etenim annon Scriptura potius consulenda, quam politicorum schola, si de optimo Ecclesiae regimine certi quid statuere velis? Fatemur perlubenter, quod administratio Ecclesiastica sit optima, eius autem modus & qualitas è Scripturis haurienda, non è lacunis politicorum derivanda est.

X L I I I.

Quantumvis enim vel diutissime etiam, alii pro Monarchiae, alii pro Aristocratiae laudibus decertaverint, tamen nil proficient vel Monarchiae defensores, si Christum Ecclesiam Aristocraticè gubernare velle ostendatur; nil Aristocratici, si Monarchicum regimen in Scripturis præceptum demonstratur. Non enim illud optimum putetur Ecclesiae regnum, quod dictatis politicis & rationi nostrae convenientissimum, sed potius, quod à Christo optimo & sapientissimo Rege, est institutum & commendatum.

X L I V.

Quapropter in frontispicio statim dissertationis huius gravissimae, duas insignes sophisticas Jesuitarum fraudes notari velim, quarum prima est malitiae, altera imperitiae: vel potius utraq, conjunctim, imperitiae malitiae, & malitiosae imperitiae. Malitiosum est, quod themate isto de præstantiâ regiminum lectorem detinent, & integros libros replent suis ratiunculis, cum tamen ista omnia ad rem nihil faciant. Rationem exposcis? In promptu ea & modo dicta est, quoniam excellentia regiminis non ex opinatione politicâ, sed ex ordinatione Dominicâ unice est estimanda.

X L V.

Hoc igitur immotum & irrefragabile fundamentum pono: Istud tantummodo optimum Ecclesiae regimen est, quo Christus eam regi voluit & præcepit: econtra, quo non voluit, non præcepit regi, istud optimum non est, etiamsi ab omnibus politicis pro optimo habeatur. Cuius fundamenti ratio in Christi & providentiâ & sapientiâ, tota recumbit. Etenim hic summe providus, & in Ecclesiam suam, tanto redem-

tam